



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Vigessimum. Octavum. Encomium Marianum Trigesimum Tertium et  
Quartum. Salus Infirmorum. Refugium Peccatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

CAPUT VIGESIMUM.  
OCTAVUM.*Encomium Marianum Trigesimum  
Tertium et Quartum.*SALUS INFIRMORUM.  
REFUGIUM PECCATORUM.

**C**Onjungo utrumque hoc Encomium  
 ob utriusque non solum similitudinem  
 sed identitatem: quis enim magis infirmus  
 quam peccator? nec infirmus solum, sed  
 spiritualiter mortuus, utpote à quo vita a-  
 nimæ DEUS abcessit, viresque omnes ad  
 bonum faciendum enervatæ, aut saltem ita  
 debilitatæ sunt: ut merito quivis peccator  
 præfiguratus dici possit in homine illo E-  
 vangelico ab *Hierusalem in Iericho* descen-  
 dente, & à latronibus in via toto vulnerato  
 & semivivo relicto: cui nimirum intelle-  
 ctus ignorantia, voluntas malitia, appeti-  
 tus concupiscibilis concupiscentia, & de-  
 nique irascibilis infirmitatis vulnere sint  
 fauciati, ut de eo verificari queat quod de  
 salva-

salvatore in carne passo propheticè dixit  
*Isai. cap. 1. à planta pedis, usq; ad verticē capitis,*  
*non est in eo sanitas :* Hujus ergo infirmi sa-  
 lus & medicina, hujus refugium & solatium  
 est Virgo sacratissima, quam mellifluus *Ber-*  
*nardus* peccatorum scalam, & unicam ra-  
 tionem spei nostræ appellat: & ejus in pec-  
 catores pietatem declarare volens: *Tu in-*  
*quit serm. Panegy. peccatorem quantum vis*  
*fœtidum non horres, non despicias si ad te suspi-*  
*ra verit, tuumque interventum pœnitenti cor-*  
*de flagita verit. Tu illum à desperationis bara-*  
*thropia manu retrahis, foves nec deseris, quo-*  
*usque horrendo judici miserum reconsilies. De*  
 his jam paulo fufius discurremus.

## §. I.

**P**Lantaverat DEVS paradysum voluptatis  
 ab initio *Gen. 2. in quo posuit hominem,*  
 quem formaverat: produxit quoque Dominus  
 DEVS de humo omne lignum pulchrum visu,  
 & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in  
 medio paradisi: lignum vitæ, Sic dictum quia  
 erat arbor excellenter vivifica, cujus fru-  
 ctus vel semel degustatus vitam hominis  
 ad plures centenos annos prorogasset: id-  
 que vi naturali sibi à DEO insita; & subinde

repetitus prorogasset etiam in æternum: neque solum reddidisset hominem longævum sed sanum, valentem ac robustum, à morbis, à languore, à tristitia & melancolia immunem, habebat enim vim non modo nutritivam, sed & medicam præ omnibus pharmacis, qua & substantia corporis & vires nutritivæ, & calor naturalis integre restauratus fuisset: eratq; hæc arbor summe necessaria cum enim constet homo qualitatibus contrarijs humiditate, siccitate, calore, & frigiditate continuo contra se agentibus se se debilitantibus, ac ita ad corruptionem naturam redigentibus: necessarium erat per fructum ligni vitæ restaurari quod calor naturalis absumperat, & bellum continuum debilitaverat: Certe in Ecclesia horto voluptatis suæ, non absimilem arborem & lignum vitæ plantavit DEUS Virginem inquam sacratissimam: lignum dico & arborem excellenter vivificam, cujus fructus vel semel degustatus spirituales hominis vitam ad plures centenos annos prorogare poterat vulnerrum insuper & morborum animæ curativam, *lignum enim vitæ est omnibus apprehendentibus.*

*dentibus eam: & jure à S. Bernardo salutetur  
O verè cælestis planta, pretiosior cunctis, san-  
ctior universis, O vere lignum vite, quod so-  
lum fuit dignum portare fructum salutis.*

Varios, imo penè infinitos morbos cor-  
poris incurrunt homines: alius capitis, ali-  
us dentium gravissimos patitur cruciatus:  
ille apoplexia, iste laborat Hernia: alius cal-  
culo, alius ventris defluxiones patitur: ille  
podagra, ille feбри, alius denique alio labo-  
rat morbo. Nec minores aut pauciores  
spiritualis & interior noster homo patitur:  
dum hic superbia tumet: ille avaritia: alius  
luxuria, quartus laborat avaritia, æmula-  
tione, ambitione & infinitis similibus mor-  
bis: vis tantis morbis remedium salutare?  
ad MARIAM tanquam medicam salutife-  
ram recurre. Herbam panaces omnibus  
morbis vim remediativam afferre, & in se  
continere. medici asserunt: similem in vir-  
gine superbenedicta advertit & observat  
medicus animarum Bernardus O quisquis in-  
quit te intelligis in hujus seculi profluvio ma-  
gis inter procellas, & tempestates stuctuare,  
quam super terram ambulare: ne avertas ocu-  
los tuos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui

procellis, si insurgunt venti tentationum, si in-  
 turras scopulos tribulationum, respice stellam,  
 voca MARIAM, si jactaris superbie undis, si  
 ambitionis, si detractionis, si emulationis, res-  
 pice stellam voca MARIAM, si iracundia, aut a-  
 varitia, aut carnis illecebra, naviculam concus-  
 serit mentis: respice ad MARIAM, si criminum  
 inmanitate turbatus, conscientie fœditate con-  
 fusus, judicij horrore perterritus, barathro in-  
 cipias absorberit tristitiæ, desperationis abyssos:  
 cogita MARIAM: in periculis, in rebus dubijs,  
 in angustijs, MARIAM cogita, MARIAM in-  
 voca; non recedat ab ore, non recedat à corde,  
 Et ut impetres orationis ejus suffragium, non  
 deseras conversationis exemplum. Ipsam se-  
 quens non devias, ipsam rogans non desperas,  
 ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non cor-  
 ruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non  
 fatigaris, ipsa propitia pervenis. Hæc ergo est  
 quæ quævis vulnera animæ nostræ curare,  
 suoque nobis adiutorio succurrere non so-  
 lum potens, sed etiam præsto est: semper  
 ad hoc parata, modo eam vero cordis affe-  
 ctu invocemus, unde S. Bernardus omnes  
 ad finem misericordie illius invitans: Quid  
 inquit ad MARIAM accedere trepidet huma-  
 na fra-

na fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, offerens omnibus lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiae seriem universam, & si quid forte increpativum, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Omnibus omnia facta est, omnibus misericordia sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam, denique tota Trinitas gloriam; filij persona carnis humane substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Ut jure quoque merito dixerit Seraph. Bonav. Ipsa enim medetur contritis corde, & refovet eos unguento pietatis.

Nec solum animarum nostrarum medetur vulneribus, quin etiam mortuos & quodammodo in peccatis sepultos, & jam quasi quatruiduanos, Lazaros foetentes, è sepulchro & tumulo ad vitam gratiæ revocat. Confirmat id S. Bonav. Ps. 13. Tuo inquit tactu lenissimo sanentur infirmi, tuo odore roseo mortui reviviscunt: Matris viventium nomen longe majori jure quam Eva olim

indepta. Eva enim illa ut ait Abbas Guericus serm. i. de assumpta in cælum Virgine: vetus, non tam mater quam noverca: quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis; dicta est quidem mater cunctorum viventium, sed inventa est verius interfecatrix viventium, seu genitrix morientium: cum suum generare nihil aliud sit quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, MARIA implevit mysterium, quæ & ipsa sicut Ecclesia cujus forma est mater omnium ad vitam renascentium, mater siquidem est vite qua vivunt universi, quam dum ex se genuit nimirum omnes qui ex ea vituri sunt, quodammodo regeneravit.

## §. 2.

**L**icet autem omnes in hac Virgine super benedicta virtutes admiremur, & diligam<sup>9</sup>: summa tamē imo infinita est ejus in peccatores benignitas, pietas, & misericordia, qua omnes quibusvis etiam criminibus obnoxios ad se confugientes non solum benigne recipit, sed etiam ad se allicit, & quodammodo trahit: sapit miseris nobis dulcius, magis nos recreat & afficit: Quis enim in ea speravit & confusus est? quis ejus au-

ius auxilium corde sincero invocavit, & expertus non est? quis ad eam in suis necessitatibus & afflictionibus confugit, & repulsam passus est? nemo credo: hinc merito Doctor mellifluus serm. 4. in Assumpt. sileat inquit misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui in ceteris virtutibus tuis congaudeamus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordiam miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Quis enim misericordie tue latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis, latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis superne invenit restorationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbramortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruina cælestis Hierusalem: expectantibus miseris, vita perditata data. Sic prudentissima & piissima  
chari

*charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abundat affectu æq̄, locuples in utroque: Ita Bernardus: Et quidem tanto suavior Virginis sacratissimæ misericordia quod nullum habeat annexum rigorem divinæ justitiæ: ejus & Dei filius misericors, sed & justus est Davide attestante Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, Ps. 100. nō ita in matre: cui ita communicata à filio misericordia, ut absit longe ab ea rigor justitiæ: misericordix Mater merito ab Ecclesia salutata.*

Aquas marinas falsas, imo falsissimas usuique humano ineptas esse experientia norunt, qui mare transfretarunt: ut tamen ab ijs tollatur falsedo natura invenit remediū: ut impleatur vas arena, si aquæ maris, per illud distillentur mox perdituras falsedinem, humanoque usui qualificandas: addit insuper *Plutarchus lib. de provident. animal.* si aqua jam dicta purificetur in vase quodam ceræ vitginæ, transmutaturas mox amarorem in saporem, insulsitatem in dulcedinem, adeo quidem ut jam non marinam sed suavissimam sapiat aquam. Amarissimus erat olim in lege veteri Deus, idque ob innumera hominum scelera  
*pereat*

*pereat Samaria ait Oseas Proph. quoniam ad a-*  
*maritudinē provocavit Deum suum & David*  
*Ps. 105. iratus est furore Dominus in populum*  
*suum & abominatus est hereditatem suam:*  
 adeo quidem ut ex vastissimo illo pelago  
 non nisi falsissimæ & amarissimæ emana-  
 rent aquæ punitionum & flagellorum *Moyse*  
*Deo pro attestante ignis succensus est in fu-*  
*rore meo & ardebit usq; ad inferni novissima,*  
*devorabitq; terram cum germine suo, & mon-*  
*tium fundamenta comburet: Deut. 32.* Sed  
 quamprimū amarissimum illud mare intra  
 vas ceræ virginæ uterum videlicet B.  
 Virginis inclusum fuit, mox naturam mu-  
 tavit, & amarorem pristini rigoris, & justi-  
 tiæ, in mel dulcissimæ misericordiæ com-  
 mutavit: ad quod alludens *Esdra lib. 4. se-*  
*cundum Vatabli translationem: Mulier in-*  
*quit portentum pariet & in dulces aquas falsæ*  
*mutabuntur:* quasi diceret muliere, seu vir-  
 gine quod summum est portentum, & pro-  
 digium DEUM pariente, aquæ falsæ  
 & amaræ divinæ justitiæ, in dulces mu-  
 tabuntur, & melleum quendam saporem  
 induent.

§. 3.

**D**E *Rhinocerote* scribunt naturalistæ, quod tantæ sit fortitudinis ut nullas humanas aut animalium vires reformidet, tantæ in cursu velocitatis, ut eundem à cursu remorari quodammodo sit impossibile: una tamen industria superari & à cursu sisti potest: si ei obviam posueris speciosam, & puram quandam Virginem: mox enim ut eam conspexerit omnem mox arrogantiam ponet, & ingenitæ suæ feritatis oblitus in ejus se sinu reclinans totus mansuescet, ab eaque se ligari & quocumq; ipsa vult duci permittet: Deum in veteri testamento terribilem, & si sic loqui liceat ferocissimum fuisse indubitarum est, quem tot fortissimi venatores, armis precibusq; suis nec à rigore justitiæ, nec cursu retardare potuerunt, ut de eo merito intelligas dictum *Iob. 39. Numquid volet Rhinoceros servare tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* nimirum fortitudo ejus similis Rhinoceroti: ac proinde per modum Rhinocerotis eum ligari capi & duci oportebat: sic stetit eum à cursu & ferocitate Virgo immaculata Davidica stirpe progenita: per incarnationem

nem

nem sinu suo virginali excipiens, & corona cinguloque humanitatis circumligans: ita *S. Thomas à Villanova, serm. 4. de Nativ. Domini: quid filio Dei similis quam filius unicornium? captus & ipse est amore virginis, & majestatis oblitus carneis vinculis irretitus: unde in Cant. clamat averte oculos tuos à me, quia ipsi me a volare fecerunt: Accidit ei quod soli zodiacum percurrenti solet: hic enim signum leonis attingens totus fervere: radiosque igneos, & quasi intolerabiles emit: at signum virginis appropinquans, radios benignos & temperatos exhibet: sol justitiæ Deus noster, similem in agendo modum observat: in veteri siquidem lege quasi in signo leonis existens ardentissimos justitiæ suæ radios emittebat, asperissime peccatores castigans: at signum Virginis virginalem inquam uterum ad è purissimis ejus sanguinibus corpus sibi præparandū intrans: mox totus in peccatores evasit benignus, suavis & misericors.*

## §. 4.

**O**lim ab arcana Dei curia, ab edita justitiæ sententia, nulla fuit appellatio: in mundo inter varias lites, si quis in una curia

curia

curia litem perdat, & adhuc novam juris aut facti causæ suæ probationem habeat illi ad ulterius tribunal appellare licet, donec tandem ad Imperatoris judicium aulicum aut Cameram Spirensē deventum fuerit: si ibi contra aliquem feratur sententia ulterior appellatio (nisi forte ad judicem male informatum melius informandum) cessat: ita quoq; olim in divina curia agebatur: at jam ulterior ad solium gratiæ, ad tribunal misericordiæ, à justitia ad misericordiam appellatur: nunc superexaltat misericordia judicium: ad virginem inquam super benedictam cui commissum misericordiæ regnum: dulcissime proin ac affectuosissime peccatores quolibet ad eam recurrendam invitat lacteus *Bernardus*: *Totis ergo inquit medullis cordium totis precordiorum affectibus & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui nos omnia habere voluit per MARIAM. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad patrem venerbaris, accedere solo auditu territus, ad folia fugie-*

fugiebas, IESVM tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem patrem filius talis obtineat? exaudietur utiq; pro sua reverentia: Pater enim diligit filium. An vero trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit, sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? ad MARIAM recurrere, pura siquidem humanitas in MARIA, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate nature. Nec dubius dixerim exaudietur & ipsa pro sua reverentia. Exaudiet utiq; matrem filius, & exaudiet filium pater, filioli hac peccatorum scala, hac mea maxima fiducia est, hac tota ratio spei mea. Quid enim? potestne filius aut repellere aut sustinere repulsam, non audire aut non audiri filius potest? neutrum plane: invenisti ait Angelus gratiam apud Deum. Feliciter semper hac inveniet gratiam, & sola est gratia qua egemus. Hucusque ad verbum Bernardus hac ergo tam humanissima invitatione tracti, cum eodem Doctore mellifluo ipsam hanc beatissimam Matrem ex intimis cordium me-

dullis in clamemus : *Per te accessum habeamus ad filium ò benedicta in ventrix gratia, genitrix vite, mater salutis, ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorem, Domina nostra, Advocata nostra, mediatrix nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos representa. Fac ò benedicta per gratiam invenisti, per misericordiam quam peperisti: ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miserie nostræ: te intercedente participes nos faciat gloriæ & beatitudinis suæ IESVS Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula Amen.*

## S. 5.

**S**Icuti in veteri lege pro criminosis homicidis ac mortis reis, decretae sunt civitates refugij, ut qui ad eas confugissent ab omni mortis metu liberi essent: quemadmodum etiam ij, qui ad Altaris cornu in tabernaculum fœderis confugissent, omni metu

metu exempti erant: uti & in nova lege si quis ad templum aut cæmiterium confugerit nequaquam inde extrahi & puniri potest: sic beatissima semper virgo MARIA unica est illa civitas refugij ad quam si peccatores multisq; obnoxij criminibus confugerint, æternæ damnationis sententiam indubie evadent. *Perire nequit qui MARIÆ sedulus cultor fuerit*: Ipla enim suos omni studio protegit, tuetur ac defendit: sciens propter eos se ad tantam dignitatem pervenisse, ut merito eorum patrocinium suscipere debeat. Et ob hanc causam reor eam ab æterna sapientia *Platano* comparatam esse. De *Platani* natura scribens *Plinius lib. 2. hist. natural.* dicit quod *folia in formâ scutorum proferat: de Platano autem accepimus quod in scutorum formam elatas habeat frondes*: Igitur Bñia Virgo *Platano* se comparat. *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in plateis Eccl. 24.* jam vero per aquas peccatores intelliguntur juxta illud: *Aqua multa populi multi*: nam sicut aqua frigidæ est naturæ & facile glacie constringitur, ita peccatores ignitæ charitatis divinæ expertes ad tantam aliquando spiritus frigiditatem

H h 2                      redigun-

rediguntur ut toti congelentur & in petrae ac lapidis duritiem vertantur, juxta illam Dei contra illos per *Proph.* quærimoniam: *posuerunt cor suum ut adamantem, noluerunt reverti*: Igitur Virgo sacratissima se comparans *Platano*, nihil aliud vult innuere: quam quod quoties divina justitia justissimæ punitionis sagittas in peccatores ejaculatur, aut gladium suum ad eos feriendos extrahit, per *Moysem* comminatus: *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes*: toties ipsa suæ potentissimæ protectionis scuto retundat omnes pœnarum ictus & jacula: Bene instar *Platani* *MARIA* ait *Richard. de S. Laurent. lib. 12. de Laudib. Virginis*: *Quia juxta populorum peccantium aquas protectionis suæ scuto, precibus & intercessionibus judicis DEI iram avertit. Sed de his amplius Articulo & Encomio sequenti.*

CAPUT